

Programma Quo Pro-Rector Universitatis Rostochiensis D. Joannes Quistorpius, Facultatis Theologicae Senior ... Matronae B. Annae Degeners/ Funus, Quod Eidem, ceu Uxori desideratissimae ... Stephanus Schultze ... hodie parat, publicitus indicit, & ad eundem Exequias Omnium Ordinum Cives Academicos serio studioseq[ue] invitat ... : [P.P. Sub sigillo Rectoratus, die 18. Decembr. Anno 1667.]

Rostochii: Kilius, [1667]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747409420>


Druck Freier  Zugang




Quistorp, J.,
in
A. Degener.

Rost. 1667.

26





147.

PROGRAMMA
Quo
PRO-RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
D. JOANNES QUI-
STORPIUS,
Facultatis Theologicae Senior, & Pastor
Dominicae,
CLARISSIMAE MATRONAE

PANNAE
Degeners /

Funus,
Quod Ejdem, ceu Uxori desideratissima

VIR PRUDENTISSIMUS SPECTATISSIMUSQUE
DN. STEPHANUS Schulze /

Senator, & iudicii opificum Praeses Eximius, hodie
parat,
publicitus indicit, & ad eundem Exequias

Omniun Ordinum Cives Academicos serio studiososq; invitae.
Convenietur hodie in templo Jacobaeo, Hora i. pomerid.
*Augustinus. Futurorum spes laborantibus requiem & solatium pa-
rit: sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes
corona.*

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Non ita est pridem, quum florentissima firmissimæque ætatis STUDIO-
SO JUVENI iremus exequias. Hodie idem sibi exhiberi officium jubet
MATRONARUM præstantissima, quæ duos ac sexaginta integros vi-
vendo jam complevit annos. Ut rectissimè adeo nuperâ occasione scri-
pserimus monuerimusque, in moriendi negocio nec sexum attendi, nec verò
etiam ullam ætatis haberi rationem. Quæ porro ibidem com-
mentabamur, bellè utique habebant, & in rem præsentem sat
videbantur eximiè factura. Nequè enim in funeribus ulla
esse commodior aur convenientior consideratio potest, quam
diulgatæ aut extendentis sese per omnem statum, sexum, æta-
tem, MORTIS. Hinc nequè hodiè adferre alia lubescet,
quàm quæ eidem fini servitura, aut ad eundem sint collima-
tura scopum. Enimverò quàm est frequens sverumque, mori
hominem; tam quoque frequenter mortis eidem memoria re-
fricari, jure meritoque, debet. Neque enim ullius nobis rei
citiùs obrepit oblivio, quàm hujus. Adeo dementati aut in-
stuporem quasi acti mortales sumus, uti, quod cotidie oculis
objectatur nostris, manibusque quasi pâlpatur, tanquam vel
jam præsens, vel brevi adfuturum, credere magno molimine
refugiamus. Hic quidem securum quemque in utramque ju-
vat

ROSTOCK, Typ. Joh. Val. A. 1771.

vat dormire aurem. Est què ipsa hæc in moriendi rebus securitas,
paratissima profectò ad interitū via. Sanè si quis fors fuerit, qui
delirio irretiatur suo, & ad homines mortem minimè attinere
existimet, saltem ipse ille vastum hoc UNIVERSI corpus
paullò consideret attentius, deprehenderq; vel in ipsamet NA-
TURA nil fixum aut stabile esse, sed totam, quanta quanta est,
mortalitati suæ subjacere. Prima illa corpora, dum ex iis sin-
gula in mundo confluunt, aut ex mutatione illorum nunc hoc pe-
rit, nunc aliud generatur, utique perpetuâ vice aut nasci, aut
mori certum est. Ipse Sol, qui inter astra princeps est, pro-
mus condusquè diei, eo ipso, quòd conspectui sese nostro sub-
ducat, condatquè sub horizontem, jugiter omninò interitum,
quem decretorius ille dies semel adferet, minatur. Huncce
ipsum cetera quoquè imitari sidera videas, quæ, renascente
majori lumine, disparent, & mortem quodammodò suam obire
occipiunt. Quid jam de omni porrò animantium genere di-
cemus? quæ & ipsa magnam illam & catholicam exercent mor-
tem. Quid de clarissimis veteris ævi Urbibus, *Caribagine, Hie-
rosolymis*, item utriusquè victricis *Romæ*; aliisque nostratis seculi,
adferemus? Has sterisse quondam floruissequè compertum est:
nunc non minùs cognitum, vel solo penitus æquatas sicq; aboli-
tas, uti cum nomine ipsâ etiam hominum memoriâ exierint;
vel ita pessundatas, uti jam non nisi in ruderibus conspiciantur
suis, merumquè sint & miserabile cadaver. *Quis credat* (Velle-
ji est Paterculi, elegantissimæ latinitatis auctoris, in non absi-
mili casu, exclamatio) *tantas Urbes tam crevisse, floruisse, ceci-
disse?* Alibi: *Admirabile prorsus est, civitatum nunc florere for-
tunam, nunc crescere, nunc penitus interire.* Quòd si fortè Urbes
non admodum satis facturas credideris, vel ipsas regiones inte-
gras, integrasquè intueri Provincias licebit, quæ quantum
mutare soleant, aut de vigore suo remittere, si nulla alia, saltim

ipsa hæc nostra tempestas argumento esse possit illustri luculen-
toquæ. Hic jam ne divinando quis assequatur, qui fiat, cum il-
lum rerum omnium interitum, tot gentes intermortuas, tot
Urbium oppidorumquæ cadavera passim per orbem terrarum,
projecta videamus, qui, inquam, fiat, quod nos homunculi
parilem nobis persvadere sortem, aut æquam mortalitatis le-
gem scribere vix ac ne vix quidem possimus? Tu quidem,
VIR SENATOR Spectarissime Prudentissimequæ, DN. STE-
PHANE Schulz / Amice honoratissime, ex eorum minimè es
numero, qui fragilitatis humanæ vel planè obliti sint, vel non
satis crebrò meminerint; sed magè, veluti temet ipsum mortis
scis esse expositum imperio, & cotidè recordaris, sic T U A M
quoquæ, pro cujus hæc hodiè honore commentamur, ejusdem
conditionis extitisse, minimè tibi ignoratum fuit. Quia am-
plius tam CHARI tibi PECTORIS jacturam hòc feres jam pa-
tientiùs, quò studiosius curatiùsq; consideraveris, eadem fati
nécessitate BEATISSIMÆ TUÆ mortem fuisse oppetendam,
quà universum hoc NATURÆ corpus teneri adstringiquæ de-
monstravimus. Dicemus jam, pro retinendâ MATRONÆ
clarissimæ memoriâ, quæ hisce occasionibus, ex veteri laudabi-
liquæ instituto, recenseri sverunt. Nata est seculi hujusce,
Anno VI. die 22. Julii; Patre quidem eximio VIRO ac Cive Pri-
mario, JACOBO Degener; Matre verò Feminarum orna-
tissimâ, LUCIA Ulenbrocks. Avum paternum nacta est STE-
PHANUM Degener / Navitam ac Negotiatorem præcipuum;
Maternum HINRICUM Ulenbrock / Warnemundâ oriun-
dum, ipsum etiam Nautam ac Mercatorem. Aviam pater-
nam habuit præstantissimam CATHARINAM Plagemans;
Maternam, eximiam planè Feminam, CUNIGUNDAM
Eggebrechts. Princeps parentum cura studiumquæ fuit, uti,
ceu peccatis merita, eoquæ præcipuè, quod *originis* appellitare.
Augu-

Augustino auctore srevimus, tota tota infecta, per Sacrum Ba-
 ptismi fontem ab isthoc reatu purgaretur, CHRISTIQUE
 adeo & Ecclesiae ejusdem membrum fieret. Dein vero etiam nil
 intermissum eorum, quae pie honeste, pudiceq; educandae vi-
 derentur factura. Annos nata octo ac decem, DEO ita disponen-
 te, nec nolentibus suis, honoratissimo VIRO, TITO, Fries/Civi
 nostrati ac cerevisiario quondam industrio, desponsata, moxq;
 ejusdem toro sociata est. Duravitq; iste nexus totos quatuor
 ac decem annos, stetitq; oppido felix, ut qui & pacatus foret,
 nec foret etiam improlis. Enim vero nati inde sunt quini or-
 dine liberi, ceu 4. Filii, JACOBUS, TITUS, HINRICUS, & JO-
 ACHIMUS: unaq; Filia, ELSABETA. Ex quibus haec & JOA-
 CHIMUS fato dudum functi suo. Ceteri superstint, per DEI
 gratiam praesentesq; duo JACOBUS & TITUS, Cives praestanti-
 issimi, funera suavissimae Matris moesti lugentesq; prosequuntur.
 Tertius viventium Filiorum, VIR Reverendus & Clarissi-
 mus DN. M. HINRICUS, primario quodam INGERMANNIAE
 loco constitutus Germanus Ecclesiastes insignis, abest, deq; obi-
 tu Genitricis nec dum habet compertum quicquam. Pietatis
 causa ipse quoque doliturus ploraturusq;, ut primum de eo-
 dem constiterit. Ceterum vidit quoq; ex Filiis hisce suis FUN-
 CTA Nepotes Neptesq;: Nimirum ex JACOBO ejusq; uxore
 Beata CATHARINA Boltzen/ quater facta Avia; dein ex TI-
 TO ejusq; Coniuge ornatissima, ANNA Eggebrechts/ sexies;
 deniq; ex DN. M. HINRICO, ejusq; compare MARGARITA
 Soldans/ ter. Anno 1638. die 17. Novembr. factitatum, uti mor-
 talium numero prior maritus exiret, ipsaq; acerbam satis vidui-
 tatis legem totos 4. annos experiri cogeretur. Quibus lapsis ad
 secunda vota (in quibus nil omnino vitii, quicquid etiam Pa-
 trum antiquissimorum nonnullis videatur) transit, junctaq; est
 Anno 42. die 20. Octobr. VIRO prudentissimo spectatissimoq;
) (3 DN. STE-

DN. STEPHANO *Schulzen* / Senatori, judiciiq; opificum ho-
diè Præsidi dignissimo. Quem alterum torum æquè, ac prio-
rem, faustum felicemq; experta est. Neque enim pax fuit stetit-
que hosce inter conjuges minus, nec destituit etiam eosdem,
quæ in generatione prolis præcipuè cernitur, divina benedictio.
Prodiere enim ex iterato hoc connubio tres Filii, STEPHA-
NUS, GEORGIUS & CHRISTIANUS, unaq; Filia, CATHA-
RINA; Quæ unà cum fratre STEPHANO cœlo, undè vene-
rant, reddita: Reliqui duo superstites quidem, sed alter saltem
eorum CHRISTIANUS matrem præsens tristisq; effert: alter
autem, studiorum gratiâ, in *Academiâ Regiomontanâ* degit, ibiq;
ad omnem virtutem strenuâ grassatur viâ. Fuit, in quo copula
non minutâ, vel priorem illam, felicitate superaret, ut quæ sta-
bilior fuerit, totosq; quinque & viginti perdurârit annos. Ante
bimestre, aut aliquantò amplius, malè habere, queriq; de vâle-
tudine cœpit. Paratum statim est contra, quicquid ullâ un-
quam humanâ ratione opeq; vel excogitari quivit. Sed ne quic-
quam planè. Iverunt enim res valetudinis in pejus, malumq;
tantas visum est vires sumere, ut ipsa brevi extrema præsto fo-
re, facile judicaretur. Quùm igitur isthâc minimè processu-
ram intelligeret, rem aliâ aggressa est viâ, seseq; ad medicum a-
nimarum, ipsum convertit DEUM, ut in quo solo spes & tota
salus sua collocaretur. Ere proin facturum suâ arbitrata est, si
Virum pl. Rev. & Excellentiss. DN. ENOCHUM SVANTENI-
UM, S. Theol. D. ab Nobiliss. Senatu electum Prof. Theol. Ex-
traordin. Archidiaconum Jacobæum vigilantissimum, Collegâ
nostrû amicissimû, ut quo Confessionario fuisset usa, advocita-
ret, ejusdemq; operâ, prævia ardenti seriâq; peccatorum confes-
sione, *divinis epulis*, tanquam ultimo viatico instrueretur. Qui
ipse Servus Jesu Christi, *clinica* petentiq; confestim adfuit, & de-
sideria ejusdem tam pia & Christiana, promptissimè, uti par erat,
explevit.

explevit. Ipsaque non diu post, XI. scil. Decembris hujus, circa VI. matutinam, egressa mortalium est conditione, vitæq; longè melioris facta particeps. Nos pro elogio MATRONÆ honoratissimæ hoc adscribimus saltem: VIXISSE, ex quo mortalibus interesset, LAUDABILEM, SEXUSq; SUI ORNAMENTUM; CETERARUMq; FEMINARUM AUT MATRONARUM DECUS, AC CLARISSIMUM LUMEN. MORTUAM, UTI NEMO POSSIT CHRISTIANUS. De vitâ ipsa tot annos luculentè quemque edocuit: In morte hæc præcipua NOSTRÆ virtus fuit, quòd minimè sortem suam quæstæ, paratissima lubentissimæq; abiret. Ex captivis *Sogdianorum*, ad Regem ALEXANDRUM, triginta nobilissimi, corporum robore eximio, quondam perducebantur. Qui ubi per interpretem cognoscerent, jussu Regis ac supplicium sese trahi, carmen lætantium more canere, tripudiisq; & lasciviori corporum motu gaudium quoddam animorum ostentare cæperunt. Admiratus Rex tantâ magnitudine atq; constantiâ mortem oppetere, revocari eos jussit, causam tam effusæ lætitiæ, cum supplicium ante oculos haberent, sciscitatus. Illi, si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse, respondent. Nunc à tanto Rege, victore omnium Gentium, majoribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus sui moris lætitiæq; celebrare. Si hosce habuere animos erga Regem terrenum & caducum Gentiles Barbatiq;, quanto majori jure eosdem imbibisse erga Regem æternum cælestemq; existimanda est, quæ erat PIENTISSIMA & CHRISTIANISSIMA. Norat, MALUM ESSE MILITEM, QUI IMPERATOREM SUUM GEMENS SEQUERETUR. Nostrarum jam partium fuerit, TANTÆ MATRONÆ frequentes promtasq; ire Exequias. Ad quod ultimum favoris humanitatis ac benivolentiæ præstandum officium, cujuscunque ordinis aut officii sint, CIVES NOSTROS


NOSTROS ACADEMICOS, singulos omnesq; impensè & per
amicè invitamus. Meretur istam prothymiam F U N C T Æ
clarissima virtus. Meretur VIDUUS mœstissimus, Senatoriæ
VIR dignitatis, inq; Ordinem nostrum adfectus planè eximii.
Qui ipse etiam bellè vicissim de Nobis merendi nullam
temerè præterlabi occasionem
parietur.

P.P. Sub sigillo Rectoratus, die 18. De-
cembr. Anno 1667.



Augustino auctore s̄vevimus, tota tota infecti-
ptismi fontem ab isthoc reatu purgaretur
adeo & Ecclesie ejusdem membrum fieret. In
intermissum eorum, quæ piè honestè, pudè-
derentur factura. Annos nata octo ac decem,
te, nec nolentibus suis, honoratissimo VIRO
nostrati ac cerevisario quondam industrio,
ejusdem toro sociata est. Duravitq; iste ne-
ac decem annos, stetitq; oppidò felix, ut quæ
nec fotet etiam improlis. Enimverò nati-
dine liberi, ceu 4. Filii, JACOBUS, TITUS, HEN-
ACHIMUS: unaq; Filia, ELSABETA. Ex qua
CHIMUS fato dudum functi suo. Ceteri su-
gratiam præsentèsq; duo JACOBUS & TITUS
tissimi, funera suavissimæ Matris mœsti luge-
tur. Tertius viventium Filiorum, VIR Reve-
mus DN. M. HINRICUS, primario quodam
loco constitutus Germanus Ecclesiastes in sig-
tu Genitricis nec dum habet compertum quæ
caussa ipse quoque doliturus ploraturusq;,
dem constiterit. Ceterum vidit quoq; ex Filiis
CTA Nepotes Neptesq; : Nimirum ex JACOBO
Beata CATHARINA Bolten/ quater facta
TO ejusq; Coniuge ornatissima, ANNA Eggen-
deniq; ex DN. M. HINRICO, ejusq; compa-
Soldanus/ ter. Anno 1638. die 13. Novembr. fa-
talis numero prior maritus exiret, ipsaq; a-
tatis legem totos 4. annos experiri cogere tur
secunda vota (in quibus nil omninò vitii, quod
trum antiquissimorum nonnullis videatur)
Anno 42. die 20. Octobr. VIRO prudentissimi

) (3



im Ba
TIque
iam nil
da vi
onen-
g/Civi
moxq;
atuor
foret,
ini or-
& JO-
JOA-
er DE
æstan-
quun-
larissi-
NNIE
q; obi-
ietatis
de eo-
FUN-
uxore
ex TI-
sexies;
ARITA
ti mor-
vidui-
ppls ad
am Pa-
taq; est
simoq;
STE-